



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Sponsam 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

In Cap. Ex literis 7.

SUMMARI A.

1. In contrahentibus matrimonium requiritur scientia & aetas.
2. Aetas legitima qua.
3. In dubio verba revocanda ad communem loquendi usum.
4. An excuset contrahentes rusticitas aut simplicitas?

Sententia huius Capitis est, quod verba contrahentium matrimonium, si obscuriora sint, ad communem interpretationem accommodari debeant. Species facti hęc fingi poterit. Contrahis inter Titium & Mariam sponsalibus (intellige de presenti, ut contextus ipse indicat) ille asserit, se non intellexisse verba Mariae, aut longè aliter ea accepisse. Hac de re consultus S. Pont. referibit, Judicem ante omnia inspicere debere, an scientia & aetate idonei fuerint ad contrahendum matrimonium: deinde verò circa interpretationem verborum sequi communem intellectum.

Ubi notandum est, duo imprimis necessariò requiri in contrahentibus matrimonium, scientiam scilicet & aetatem. Per scientiam intellige iudicium animi: nam hęc est fundamentum consensus, quo perficitur matrimonium. Siquidem is consentire non dicitur, qui non scit, sive scit, sed non intelligit, licet corpore præsens sit, *l. Nihil 14 D. De auctoritate & consensu tutor & l. Coram 209 D. De verb. signif. can. Sufficiat xxv. 1. quest. 2.* Ob quam causam rectè reneuntur à matrimonio furiosi, amentes, & ebrii, dummodò tanta ebrietas sit ut alienationem iudicii inducat, *c. Dilectus 24 & ibi Henr. Bohic hoc tit. & can. Neque furiosus xxxii. qu. 7.* nisi furiosus vel amentis haberet dilucida intervalla, quibus legitimè contrahit matrimonium, sicut & alii contractus rectè ab eo fiunt, *l. 2 C. De contrah. empt. & l. Cum alius 6. C. De curat. furios. in d. & testamentum tempore intermissi furoris, & su-*

rosi Inst. Quib. non est permis. facere testam. Aetas verò legitima in contrahentibus ex pubertate æstimator, quæ in masculo evenit post decimumquartum annum, & in fœmina post duodecimum; nisi malicia sive sagacitas naturæ hoc tempus antevertat, sicut latius dicitur *ad c. 2. inf. De despons. impub.*

Quod autem verba, si de eorum interpretatione dubitetur, revocanda sint ad communem loquendi usum, probat hæc iuris sententia, qua dicimus, verba non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu loquendi æstimanda esse, *per text. in l. Labeo 7. D. De supell. leg. & in l. Anniculus 13. D. De verb. signif.*

Atque hinc nata est illa quæstio. Si mulier aut vir tanta rusticitate, sive simplicitate prædiantur, ut non intelligat vim & naturam matrimonii, sed putet se ad tempus invitari ad concubitum, aut se posse liberè quodcumque reslire à matrimonio, an hic contractus pro legitimo matrimonio accipiendus sit? Quod putat Innoc. & eum sequutus Panorm. *hic eo quod hoc casu recurrendum sit ad iuris intellectum, qui hic est, ut matrimonium perpetuum sit, non temporarium, c. fin. inf. De condit. appof. & can. Solet. xxxii. qu. 2.* Quæ sententia quidem vera est in obscuro, hoc est, si tempore contractus aliter non constiterit de mente contrahentium, quia tunc in dubio censetur contraxisse, iuxta naturam contractus: at falsa est, si constiterit, ut in proposita quæstione, propter defectum perpetui consensus, qui in matrimonio requiritur, *d. c. fin. & d. can. Solet. Nec enim in re certa interpretatione opus est, l. Continuus 137. §. cum ita stipulatus in fine D. De verb. obligat. Ut nec iura verba loquentium aliter interpretantur, quam secundum eorum intentionem: quippe verba intentioni, non de contra intentione verbis deservit, can. Humana aures xxxii. quest. 5. c. Intelligentia 6. inf. De verb. signif.*

In Cap. Sponsam 8.

Hoc Cap. prohibentur consanguinei sponsi contrahere matrimonium cum eiusdem sponsa: intellige usque ad quartum gradum, hoc iure nostro. At hodie ex concessione Concilii Tridentini usque ad secundum gradum

exclusivè, sicut *supra eod. ad cap. 3.* tradidimus. Quod autem Cuiacianus Posthumus hęc existimat, verbum *maximè* in textu nostro supervacaneum esse, de eo dictum *suprà.*

In Cap.